

EXISTENTIA PECCATI ORIGINALIS EX ROM. 5, 15-21 DEMONSTRATA

Theologi, cum catholicum dogma de peccato originali demonstrare intendunt, argumentum petunt potissimum ex Rom. 5, 12-14; sequentes autem versiculos 15-21, vel aliquos ex illis, in eum tantum finem afferre solent, ut praecedentes corroborent vel illustrent. Atqui in hisce versiculis multa reperiuntur ad originale peccatum pertinentia, quae si accurate colliguntur atque inter se conferuntur, demonstrationem suppeditant catholici dogmatis, non minus validam, et certe exegeticis difficultatibus non ita obnoxiam, quam illam ex versiculis 12-14 petitam. Haec Pauli testimonia colligere, brevibus annotationibus illustrare, ex iisque catholici dogmatis demonstrationem instituere, operae pretium visum est.

I. PAULI TESTIMONIA BREVITER ILLUSTRATA.—Sex sunt praecipue Pauli testimonia in Rom. 5, 15-21 ad peccatum originale spectantia, quae theologicae demonstrationi materiam parant.

A. “*Regnavit peccatum in morte*” (v. 21). His verbis Peccato personificato regia potestas in homines attribuitur, quae per mortem exercetur. Ergo Peccatum est rex vel potius tyrannus, Mors huius tyranni minister vel instrumentum, homines morientes, ergo omnes, illius subditi. Detracta metaphora, innuitur peccati ingens vis, cum morte connexio, universalitas.

B. “*Unius delicto regnavit per unum*” (v. 17). Hic, mutata metaphora, mors ipsa regnat, seu maleficum in homines imperium exercet. Praeterea declaratur unde morti hoc imperium proveniat: scilicet “per unum”, “unius delicto”. Iste unus, bis designatus, est Adam: qui unus mortem induxit; induxit autem suo unius delicto. Duplex ergo causa mortis assignatur: personalis et realis, id est, unus Adam et eius delictum. Non hic praetermittenda est emphasis qua S. Paulus unitatem originis exprimat, unde mors orta sit.

C. “*Unius delicto multi mortui sunt*” (v. 15). Haec verba, praecedentibus aequivalentia, clarius exprimunt universalem hominum multitudinem, in quos mortis imperium exercetur. Nam verbum “multi”, quod in graeco textu articulo praeceditur, idem valet atque “illi qui sunt multi”; nec opponitur

“paucis”, sed “uni”. Absolutam igitur universalitatem non modo non respuit, sed potius innuit, quam versus 18 explicite asserit.

D. *“Iudicium ex uno in condemnationem”* (v. 16). His verbis, praeter unitatem originis in morte, duo maximi momenti inter se connexa continentur: mortem esse “condemnationem” seu poenam, et ante poenam decretam praecessisse “iudicium” Dei, iustissimum igitur. Praeterea, cum dicitur “iudicium ex uno”, sive peccante, sive peccato, “in condemnationem” devenisse, si verba immediate praecedentia et subsequentia rite considerantur, facile intelligitur ita “ex uno” Adae peccato in omnes homines latam esse mortis sententiam, ut personalia singulorum peccata excluderentur a ratione mortis indicandae. Ceteri homines peccaverint etiam sane; at non ob ista peccata, sed ob unius Adae peccatum, poena mortis in omnes constituta est.

E. *“Per unius delictum in omnes homines in condemnationem”* (v. 18). Hic complementorum acervus, nullo verbo, nullo orationis subiecto sustentatus, est tamen perspicuus. Exprimit autem explicite, ut ante notatum est, hominum universalitatem, qui “per unius delictum” “in condemnationem” mortis inciderunt. Effert etiam universalem hominum condemnationem esse poenam unius Adae peccati.

F. *“Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi”* (v. 19). Haec verba, vel sola, originale peccatum clare designant. Duo in his consideranda: quodnam sit Adae peccatum, quod ad omnes homines extendatur; quomodo ista extensio vel communicatio sit concipienda. Peccatum Adae est ipsa eius inobedientia: est igitur actus ipse peccati. Non est ergo peccatorum omnium complexus, qui, eo quod ab Adam initium duxerit, ipsi tribuatur; sed actus ipse quo Adam Dei praeceptum violaverit. Hoc autem Adae peccatum ita ad omnes extenditur, ut ipsum eos peccatores constituat vel reddat. Quae verba, nisi temere a suo sensu obvio et unico detorqueantur, id unum significant: idem Adae peccatum esse simul proprium omnium peccatum. Quare individuum illud Adae peccatum exhibetur tamquam forma omnes homines peccatores per se ipsa constituens vel efficiens.

Iam si notae omnes, quibus tale peccatum distinguitur, in unum colliguntur, haec habebitur formula, originalis peccati apta plenaque descriptio: “*Ex uno, per unum, unius delicto, per unius delictum, per inobedientiam unius hominis, — omnes homines, quam multi sunt, constituti sunt peccatores, iudicati, condemnati, mortui sunt. Sic et peccatum regnat in morte, et mors ipsa regnat unius delicto per unum*”.

Etsi talis descriptio, paulinis verbis composita, verae argumentationis vices gerere queat, ob rei tamen momentum expressius argumentari non piget.

praecedentibus Pauli testimonii duplex argumentatio erui potest, quarum altera petitur ex habitudine unius Adae peccati ad omnium hominum peccatum; altera ex eiusdem primi peccati connexione cum morte.

1. Unum Adae peccatum omnes homines peccatores constituit. Atqui istud peccatum est ipse primi peccati actus. Ergo unus peccati actus omnes homines per se ipsum constituit peccatores.

Maior propositio verbis expressis asseritur a Paulo. Minor autem sic demonstrari potest: a) hoc peccatum, ut ante notatum est, dicitur esse ipsa Adami inobedientia qua Dei praeceptum violavit, scilicet, ipse primi peccati actus; - b) locutionum emphasis et iteratio "ex uno", "per unum", "unius delicto", "per unius delictum", quibus universalis peccati unitas individuatam vivide effertur, nisi in hac interpretatione sensum aptum non haberent; - c) in versu 16 personalia singulorum hominum peccata positive excluduntur a ratione primae et universalis sententiae in eos latae, quae in individuo unius Adae peccato innititur. Iuvat istum versiculum attentius hic considerare. "*Et non sicut per unum peccatum*", seu, ut habet textus graecus, "*Et non sicut per unum peccantem (ita) et donum. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem*". Quae verba, licet prima fronte obscuriora, id clare significant: Dei gratiam et donum multo maiores efficaciam habere ad iustificandum, quam peccatum ad condemnandum: quod in ipsa utriusque origine seu radice patet. Nam gratiae efficacia non mensuranda est primo Adae peccato, quasi ei uni opponatur remediumque afferat; sed in primo iam principio Adae peccatum reperit multorum delictorum personalium foenore in immensum auctum et multiplicatum, quibus omnibus ipsa una opponitur et a quibus omnibus iustificat. Unde si primum Adae peccatum ita fuit efficax, ut ex uno illo iudicium in condemnationem procederet, multo magis efficax erit Dei gratia, quae et illud delictum et cetera delicta quibus est auctum se una deleret. Iam, ut ad rem nostram veniamus, certum est illud delictum, ex quo uno iudicium in condemnationem omnium hominum cesserit, a multis aliis delictis personalibus manifeste distingui, in quibus iudicium in condemnationem non est innixum. Ergo tandem peccatum, quo omnes homines peccatores constituti sunt et iudicati et damnati, ita est unius Adami peccatum individuum, ut etiam alia actualia peccata non essent consecuta, iam illius primi peccati causa iuste essent omnes condemnati, tamquam ab eo peccatores omnes constituti.

2. Unius Adae delicto omnes homines ita moriuntur, tamquam in mortem ob illud delictum iuste condemnati. Atqui non iuste condemnarentur, nisi idem unius delictum esset etiam proprium omnium peccatum. Ergo idem unius Adae peccatum fuit etiam proprium omnium hominum peccatum.

Maior propositio asseritur ab Apostolo in eodem versiculo 16, tibi dicit ex uno in condemnationem, mortis sine dubio, devenisse "iudicium", non

vim autem temeritatem. Et patet aliunde ex Dei iustitia, qui iudicat et condemnat. — Nec minus est evidens minor, si haec duo considerantur: et damnationem mortis esse iudiciale, et iuste esse illatam. Etenim vi sententiae iudicialis ille tantum damnari et puniri potest, qui peccavit. Ergo unius Adae peccato homines nisi peccassent, ad mortem non essent damnati. Huic rationi alia accedit non minus valida. Nimirum, si in mortis omnium hominum origine ab uno Adae peccato nulla iudicialis sententiae fieret mentio, sed diceatur simpliciter “unius delicto omnes esse mortuos”, tum forte locus pateret dubitationi vel suspicioni an mors respectu illius peccati quasi mera esset hereditas. At ubi iusta sententia et damnatio intercedit, tali suspicioni locus mirime relinquitur. Sine proprio peccato sit sane ruina, aerumna, interitus: at vero iusta sententia et damnatio et poena sine proprio peccato esse nequam potest.

Haec itaque Pauli testimonia catholicum dogma de originalis peccati existentia mirifice confirmant: quod unum tractandum nobis proposuimus. Non tamen sola peccati originalis existentia, sed eius quoque natura, iisdem Apostoli testimonii illustratur. Immo scholasticae quaestiones magnum ab illis lumen possunt mutuari, si praesertim Adae peccatum cum originali, ut ita dicam, Iesu Christi iustitia conferuntur. Sed haec nunc innuisse satis est.

JOSEPH BOVER, S. I.